2417 2.

CENTURIA
POSITIONUM MEDICARUM,
De
PASSIONE COLICA,

AD QUAM
σὺν Θεῷ
PRÆSIDE
WOLFGANGO SCHALLERO
PHILOS. ET MEDICINÆ D.
& Profeſſore publ.
In
ACADEMIA WITTEBERGENSI
Pro
LICENTIA DOCTORIS in ARTE MEDICA
GRADUM CONSEQVENDI
Reſpondebunt
Suâ ſic SORTE locati
MICHAEL FRIDERICI
Wilſtriâ-Holſatus, Practicus
Weiſſenfelsſenſis,
&
FLORIANUS GERSTMANN
Boleslavienſis Sileſius.

Habebitur ad diem 13. Septembris, Anni 1622.

Typis CHRISTIANI THAM.

Σὺν Θεῷ

De

COLICA PASSIONE.

THESIS I.

GRaviſſimis, iisq; variis infeſtari morbis inteſtina vel ex *Fernelii* autoris longè graviſſimi *libri 6. de partium morbis & ſymptomatib. cap. 9. & 10.* conſtare arbitramur. Inter craſſiora verò, quæ in abdomine reperiuntur, inteſtina, ampliſſimum omnium, capaciſſimum, multis anfractibus ſinuoſum, & concameratis quaſi involucris diſcretum ornatumq; à Natura eſt Colon, ideò ut pituitoſos, crudos, aliosq; humores continere poſſit diutius. Hinc Græcis *κῶλον* ἀ *κωλύω*, quod eſt, retardo, ſeu remoror, denominatur.

II. Non enim ſolum inibi omnis generis excrementa, ſed & vitioſorum humorum, flatuumque & vaporum, amplius ſpacium deſiderantium, ſtabulatur copia, variis malis haud levem exhibens occaſionem.

III. In quorum claſſe haud poſtremum ſibi vendicare locum videtur DOLOR COLICUS: quo nomine non tantum Medici ferè omnes, ſed & populares olim vehementiſſimos quosque dolores, in quacunq; parte evenerunt, ad Colon retulerunt teſte *Gal. lib. 6. de loc. adfect. cap. 2.*

IV. Nos verò ſolam, quæ in colo exiſtit, *paſſionem colicam* hoc loco intelligimus, quam Græci alii *ὀδύνην κωλικὴν*, *κωλικὴν διάθεσιν*, *ἄλγημα κωλικὸν*, *ἀπὸ τοῦ κολάζεσθαι*, id eſt, torquen-

do appellitant, quod hoc tormenti genere patientes acutis ſatis torminibus, & diris admodum cruciatibus divexentur. Dum enim κῶλον, ſeu, ut vult *Celſus lib. 2. de Re Med. c. 7.* laxius inteſtinum dolere conſuevit; ejuſmodi dolores inflationes & torſiones, quas ἐμπνευματώσεις & στρόφους veteres vocarunt, oriuntur, auctore *Actuario lib. 1. Method. Med. cap. 20. & 21.* quæ ſpaciis temporis interjectis, intolerabiles fiunt ſecundum *Galen. in Finit. Medicis.* Germani das Krimmen oder die Colick denominant.

V. Quæ adfectio an fuerit *Hippocrati* nota, nonnulli in dubium vocant. Verum enim verò, etiamſi nullibi doloris Colici mentionem factam ab *Hippocrate* referat *Hercul. Saxon. parte 2. prax. c. 30.* hanc tamen paſſionem non ignoravit plane, quandoquidem arthritidem in hunc morbum tranſiiſſe innuit ipſe, quando inquit: qui articulari morbo detentus, inteſtini dolore dextra parte vexabatur, levius habebat. Ubi vero hic curatus fuit, magis dolebat. *lib. 6. Epidemiωn. ſect. 4. text. 3.* Cum vero vehemens inflatio, vehementesque dolores dextra parte eveniunt, inteſtinum plenius, hoc eſt, Colon afficitur, teſte *Celſo lib. 4. de Re Med. cap. 14.* Unde non ſolum *Hippocrati* ſed & antiquis aliis notam fuiſſe hanc paſſionem cum *Mercuriali* aſſerimus *lib. 3. cap. 26.* licet non expreſſo Colicæ nomine uſus fuerit *Hippocrates.*

VI. Nomina igitur eatenus curare oportet, quod *Galenum* imitati, & in hoc malo paulò ante fecimus, ut dilucida ſignificatæ rei ſit interpretatio: ipſas autem res, de quibus oratio habetur, invenire ſic ſtudendum eſt, ut nihil ex his lateat: Omnes enim hæ ad medendi methodum præparationem afferunt, qua methodo diſpoſitionibus ipſis, non earum nominibus medemur, ſuaſore *Galeno in libell. de Tum. p. n. cap. 3.*

VII. Deſcribimus Colicam paſſionem quod ſit triſtis admodum ac dolorifica ſeu corrupta ſenſatio in colo inteſtino, ejusq; partibus à continui ſolutione, cum difficili fecum excretione, enata.

VIII. Forma hujus mali eſt dolorifica, triſtis ſeu corrupta ſenſatio *Trallian. lib. 10. cap. 1. Capivac. lib. 3. cap. 13.* Unde innote-

ſcit

ſcit dolorem Colicum eſſe Symptoma, non morbum; & quidem in genere læſæ actionis, tactusq; depravati, & excrementorum retentorum. Priori modo corrupta ſenſatio dicitur, quia cum violentia perficitur. Frequenter autem inteſtino colo accedit, tùm quia membranoſum, tùm quia nervos à ſexto pari recipit: modo poſteriori ſequitur morbum malæ compoſitionis ſeu in via, quia inteſtina, quæ debebant eſſe libera & expedita, replentur & quadantenus obſtruuntur.

IX. *Pars adfecta ſive ſubjectum* unanimi omnium & antiquorum & neotericorum Medicorum conſenſu ſtatuitur inteſtinum Colon, cum, quia denſum eſt, craſſum & nervoſum, nihil, quod in illud confluit, facile diſcuti poſſit, quemadmodum in tenuioribus inteſtinis. *Trallian. lib. 10. cap. 1.* Unde modò ſecundum cavitatem, modò ſecundum tunicas afficitur *Paul. Ægin. lib. 3. cap. 43. Aetius Tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 29. Herc. Saxon. lib. 3. cap. 25. Gal. Item in Finit. Med. & in Introd. Adſcript. cap. 13. in lib. de Colic. dolor. Aretæus lib. 2. cap. 13. Oribas. lib. 4. de loc. adfect. cur. cap. 87. & lib. 8. cap. 29. Actuar. lib. 1. Method. med. cap. 21. Celſus lib. 2. de Re Med. cap. 7. & lib. 4. cap. 14. Fernel. de part. Morb. & Sympt. lib. 6. cap. 10. Herc. Saxon. parte 2. Prax. cap. 30. Felix Plat. Tract. 2. cap. 13. Capivac. lib. 3. cap. 13. Holler. lib. 1. de Morb. Intern. cap. 41. Foreſt. lib. 21. obſerv. 2.*

X. *Cauſarum Colicæ offeruntur variæ.* Alia ἄμεσος eſt, *immediata & conjuncta*: alia ἔμμεσος ſive *mediata.* Ἄμεσος ſeu *conjuncta* & συνεκτικὴ ſeu *proxima* cauſa, inter quam ſcilicet & ipſum dolorem colicum nulla alia intercedit, eſt *unitatis ſeu continui ſolutio. Capiv. l. c. Herc. Sax. lib. 2. Prax. cap. 30. Rondel. lib. 2. Method. med. c. 25.*

XI. Quæ συνεκτικὴ & unitatis ſolutio à pluribus cauſis mediatis dependet. Eſt autem ἔμμεσος ſeu *mediata* cauſa vel προκαταρκτικὴ, vel προηγουμένη. Illa rurſus in *neceſſariam & contingentem* ſubdividi poteſt. *Neceſſarias* Colicæ cauſas ſubminiſtrant *ſex res non-naturales* Medicis dictæ.

XII. In quarum numero primò occurrit *Aëris conſtitutio* modò calida feces & inteſtina deſiccans: modò frigida & borealis: ſicut & regio Septentrionalis conſtringendo eadem coarctans

 & con-

& conſtipans. Hyeme enim aſpera & regione frigida provenit inteſtini propoſiti dolor. *Aretæus lib. 2. cap. 8.* Omninò ideò frigus evitandum eſſe *Celſus* cenſet *lib. 2. de Re Med. cap. 7.* Siquidem & inſeſſio diutina ſuper lapide frigidiore Colicam parere ex *Avicenna* refert *Foreſtus lib. 21. obſerv. 4.* Quam etiam frater ipſius incurrit, quotiescunque illi pedes nimium frigebant. Nonnunquam & peſtilens *Ægineta lib. 3. de Re Med. c. 43. Mercurialis. lib. 3. cap. 26.*

XIII. Deinde *Victus* & cibus facile corruptibilis, *Gal. lib. 1. de Loc. Adfect. cap. 4.* indigeſtus, *Gal. in libell. quî Morb. ſimulantes deprehendi licet:* frigidus continuò ſumtus *Trallian. lib. 10. cap. 1.* Craſſus, ſtipticus, flatulentus, fructus horarii, legumina, olera ferè omnia, maximè cucurbita, melones, pepones, glandes, cotonea mala, meſpila, Caſtanea & ſim. juxta *Foreſt. lib. 21. Obſ. 4. in ſcholiis.* Præcedit enim in Colica laborantibus maximè frigidorum ac craſſi ſucci eduliorum aſſidua ingeſtio & repletio: *Paul. Ægin. lib. 3. cap. 43.* Unico verbo, Intemperantia *Gal. lib. 6. de Loc. adfect. cap. 2.* & cruditas, malæ coctionis ſoboles *Gal. lib. 2. de Loc. adfect. cap. 5.* Aq. item frigidioris potus ac vinum copioſa lympha frigida dilutum *Foreſt. l. c.* aut nimis adſtringens *Trall. lib. 10. cap. 1.*

XIV. Tertio *Ocium* & quæ his conſona juxta *Ægin. l. c.* commotio intempeſtiva & à cibo facta, venus laborioſa, frigidæ potioni præſertim ſubſecuta juxta *Foreſt. lib. 21. Obſerv. 4. in ſchol.* aut poſt cibum ſtatim frequentata *Barthol. Montagnana Conſil. 134. ſect. 2. cap. 1.*

XV. Quarto *Somnus nimius* cruditates accumulans, ut & *vigiliæ immoderatæ* nimis corpus & inteſtina exſiccantes. Quintò *excrementa copioſa* plus juſto diutius retenta *Gal. in Introd. ſeu Medic. cap. 13. Paracelſus de modo pharmacandi: & feces induratæ nimis,* anguſtiamq; facientes, ob muſculorum ventris debilitatem juxta *Foreſt. lib. 21. Obſerv. 4.*

XVI. Tandem *animi* παθήματα ad cruditatum collectionem, ut timor, triſtitia, &c. vel humorum transmiſsionem aliunde adjuvantia ut ira, incandeſcentia, terror ſubitaneus & ſimilia his alia.

XVII.

XVII. Cauſæ *contingentes* & foris incidentes ſunt caſus vel lapſus ex alto unde rupturæ & herniarum ſpecies proveniunt, vulnera inflicta, muſculorum aut præcordiorum percuſsiones *Foreſt. lib. 21. obſerv. 4.* ferrum, lapis, ligna, medicamenta acria, venena & ſimilia, quæ ſolvendo continuum vel abradunt, vel frangunt, vel contundunt, vel incidunt. *Capivac. lib. 3. cap. 13.*

XVIII. Προηγȣμέναι & *internæ antecedentes ſunt*, quæcunq; in corpore exiſtentes, aptæ ſunt ad mali hujus productionem. Unde cruditates & vitioſitates vel ſenſim in inteſtinis colliguntur, vel confertim aliunde affluunt & in inteſtina deveniunt, vel à toto corpore juxta *Gal. in lib. de dol. Colico:* vel à parte aliqua determinata ſive ſit caput, ſecundum *Herc. Sax. parte. 2. Prax. cap. 30.* ſive mala ſtomachi complexio juxta *Montagn. Conſil. 134. ſect. 2, cap. 1.* ſive primæ & ſecundæ coctionis alimentorum debilitatio vel depravatio ab omni morborum genere introducta, ut vult *Petræus.*

XIX. Quo & nativa coli diſpoſitio, ac ob dolores creberrimos ejuſdem labefactatio: Hepatis item, Lienis, renum, matricis, hæmorrhoidum, & juxta *Trallianum* ſepti transverſi, veſicæ inflammationem experiuntis, Ilei, *lib. 10. cap. 1.* aliarumque morboſa diſpoſitio referri poteſt.

XX. Quibus longè plurimas alias annumerat Aretæus *lib. 2. cap. 8. peccantes modò quantitate mole & copia*, quâ ratione anguſtiam aut diſtenſionem violentam efficiunt: modo *qualitate* vel *prima*, qua intemperiem, excepta unâ humidâ, aliquam introducunt; vel *ſecunda*, qua craſsitie & glutinoſitate obſtructionem, acrimonia, & corruptione eroſionem aut exulcerationem cauſant: modo denique *inordinato motu* hinc inde vagantes, ac intra inteſtinorum tunicarumque ſpacia ſeſe inſinuantes, ac moleſtantes.

XXI. Præ cæteris enumerabimus vulgatiſsimas & crebriùs malum hoc inducentes. Ubi primò occurrit *Inflammatio* inteſtini, *Gal. in Introd. ſeu Med. cap. 13. Trallianus lib. 10. cap. 1. Æginæta lib. 3. cap. 43.* è qua puris & ſaniei collectio *Fernel. lib. 6. cap. 10. Felix Plater. Tract. 2. cap. 13.* Abſceſſus & ulcus *Foreſt. lib. 21., obſerv. 4.* Deinde *humor acris ac mordax Gal. lib. 1. de loc. adfect. cap. 4. & lib. 4.*

Apho-

Aphoriſ.11. in Com. Ægineta loc. cit. Oribaſ. lib. 4. de Loc. adfect. cur. cap. 87. qualis eſt bilioſus *Gal. lib. 12. Method. med. cap. 8. Fernel. lib. 6. c. 10. Trallian. l. c.* Atrabilaris, *Herc. Saxon. lib. 3. cap. 25.* Frigidus, craſſus, ac viſcoſus *Gal. lib. 6. de Loc. adfect. cap. 2.* glutinoſus *Aretæus lib 2. cap. 8 Oribaſ. lib. 4. cap. 87.* Lentus, *Aetius Tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 30.* Pituita frigida & acida *Gal. lib. 2. de differ. febr. cap. 6. Aretæus lib. 2. de ſign. & cauſ. morb. diuturn. cap. 8. Trallian. lib. 10. cap. 1.* Vitrea *Foreſt. lib. 21. obſerv. 5.* Salſa *Capivac. lib. 3. cap. 13.*

XXII. Inflationes item *Oribaſ. lib. 8. cap. 29. Actuarius lib. 1. cap. 21.* Vapores craſsi & flatuoſi Spiritus, in corpore craſſo denſoque geniti, ſed egredi nequeuntes, *Gal. lib. 6. de Loc. adf. cap. 2. & lib. 2. de Loc. adfect. cap. 5. in Introd. cap. 13. lib. 4. Aphor. 11. in Com. Celſus lib. 2. de Re Med. cap. 7. Ægin. lib. 3. cap. 43. Trallian. lib. 10. cap. 1. Foreſt. lib. 21. obſerv. 8.*

XXIII. Feces & ſtercora ſicca retenta *Trall. loc. cit. Foreſt. lib. 21. obſerv. 9.* Sanguis venis egrediens in inteſtina decumbens, concreſcens, ac grumeſcens, vel etiam inflammationem excitans *Capivac. lib. 3. cap. 13. Herc. Sax. lib. 3. cap. 25.*

XXIV. Quibus etiam annumerantur Lapides & calculi *Joh. Schenckius lib. 3. obſerv. p. 426. Plater. Tract. 2. cap. 13. Aetius Tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 30.* quales inſtar nucis juglandis ſeu Caſtaneæ magnitudine ſe vidiſſe affirmat *Fernel. lib. 6. de Part. Morb. & Sympt. c. 9.*

XXV. Vermes & Lumbrici è materia putreſcente in inteſtinis à calore materiæ putreſcentis geniti *Capiv. lib. 3. c. 13. & Foreſt. loc. citatis.* Oſsicula è pedibus gallinarum coctis deglutita, & multis annis in inteſtinis detenta *Plat. Tract. 2. c. 13.*

XXVI. Paracelſo & Chymiſtis Colicæ cauſæ ſunt Spiritus ſalium reſoluti *Paracelſ. in Tract. de Colica:* aut etiam tartarus nimis reſolutus *Idem in ſchol. in lib. de Tartar. Tract. 4. cap. 1.* vel per ſalem coagulatus ſive ſit vitrioli, ſive aluminis, ſive cõmunis, ſive calcis, modò acrem & corroſivam vim ſimul in ſe contineat *in libell. de Morb. Tartareis. cap. 12.* Styptica igitur aluminoſa & acetoſa conſtringentia corroſiva, acria ac mordicantia ſalia Spiritibus ſuis acutis variis exercere doloribus & excruciare inteſtina poſſunt, quorum nonnullorum meminit *Quercetan. in Diætetic. polyh.* Et quaſcunq; alii his cauſis ſimiles & adfines recenſent plurimi.

XXVII.

XXVII. *Differentias* colicæ ponimus alias *eſſentiales* à forma, ſubjecto, & cauſis petitas: alias *accidentales*, à communibus quibuſdam accidentibus, à modo invaſionis ſeu inhæſionis, magnitudine, more, comitatu & exitu, ac ſimilibus deſumtas.

XXVIII. *A forma*; dum dolor alius acutus & punctorius, quo ſibi quaſi terebro perforari ipſe *Galenus* ventrem peracerbe tulit *lib. 2. de Loc. adfect. cap. 5.* alius tenſivus.

XXIX. *A ſubjecto*; dolor Colicus aut eſt *verus*, factus vel ſecundum cavitatem coli inteſtini, *Herc. Saxon. lib. 3. cap. 25.* vel ſecundum tunicas, ſi humor aliquis inter duas tunicas, quibus inteſtina conſtant, congeratur, qui aptus ſit ut in flatum convertatur, *Trincavell. lib. 6. ſect. 3. cap. 9.* qualis eſt pituitoſus intra tunicas ipſius intercluſus *Æginet. lib. 3. cap. 43.* ſive mordax in ipſis inteſtinorum tunicis imbibitus *Aetius Tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 29.* Per tunicas autem ſeu membranas coli inteſtini dolentis intellig t tam internas quàm externas *Herc. Sax. Part. 2. Prax. cap. 30.*: aut *nothus & ſpurius* ſimilitudine & vehementia Colicum cruciatum mentiens, cujus meminit *Fernelius*, qui non in Colo, ſed vel in peritonæo vel in membranis, quæ abdomini ventrisq; partibus obtenduntur, enaſcitur, *lib. 6. de part. Morb. & Sympt. cap. 10.*

XXX. *A Cauſis*: Colica alia eſt *minoralis ſeu humoralis & corpulenta*, hoc eſt, quæ à quacunque cauſa ſupra in theſi 21. poſita provenit, ſive humor ſit calidus ſive frigidus; craſſus & viſcoſus, ſive ſalinus, acris ac mordax: *Seu corpulenta & compactâ p. n. materiâ*, ut ſunt vermes & lumbrici; Lapides & calculi; feces induratæ & oſſicula.

XXXI. *Alia flatulenta*, quæ à flatibus, vaporibus, ſpiritibus ſalinis & aura venenata, (quo & maligna & peſtilens referri poteſt, cujus meminit *Paulus ex Ægina Medicus lib. 3. cap. 43.*) inteſtina vel diſtendentibus vel lancinantibus, vel corrodentibus, nec exitum invenientibus ſolvendo continuum efficiunt dolores, ſive in ipſis inteſtinis ſenſim collectis, ſive aliunde transmiſſis cauſis enumeratis.

XXXII. Inter *accidentales primo loco* ſeſe offert differentia à *modo invaſionis* deſumta, quod alia Colica ſit fiens, alia facta:

Deinde à magnitudine, quod alia ſit mitis & blanda: alia vehemens & intenſa. *Tertiò à more*, alia benigna & ſine vehementioribus ſymptomatibus: alia maligna & peſtilens. *Quartò à motu*, alia brevior & per intervalla recurrens, alia diuturnior, & continuò adfligens, adeò ut ſæpe duobus continuis diebus torquere ſoleat decumbentes teſte *Gal. lib. 2. de Sympt. cauſis cap. 5.* Unde & alia vaga & mobilis, alia fixa & in certo quaſi loco ſtabilis deprehenditur. *Quintò à concurſu & comitatu*, alia eſt cum febri & variis ſymptomatibus ſtipata: alia ſine his ſolitaria. *Deniq; ab exitu*, alia eſt ſalutaris, alia lethalis; & quidem *vel ſimpliciter* ſalutaris, quæ ad priſtinum ſanitatis ſtatum perducit: vel ſimpliciter lethalis, quæ ad mortem deducit nonnunquam etiam brevi. Quo caſu virginem duodecim horis jugulatam ſe vidiſſe ſcribit *Hieronym. Mercurial. lib. 3. cap. 26*: *vel ſecundum quid*, quatenus in alios morbos tranſit ac terminatur, ut ſi in ſpaſmum juxta *Paracelſum in Theoricis figur. Univerſal. Morbor. Tab. 7.* vel paralyſin ac Morbum Comitialem juxta *Æginet. lib. 3. cap. 8. & 43.* De quibus in προγνώσει plura.

XXXIII. Tranſeundum igitur ad *ſigna, quæ vel ſunt diagnoſtica vel diſtinctiva, vel prognoſtica.* Non enim ſimpliciter hoc ſolum conſiderare convenit, ventérne adfectus ſit, an aliquod inteſtinorum: Sed quisnam ſit adfectus, tum quæ notæ propriæ ſunt adfectuum, quæque locorum adfectorum, diſtinguere oportet. *Gal. lib 1. de Loc. adfect. cap. 4.*

XXXIV. Διαγνωστικὰ *vel affectum* ipſum *& ſubjectum* manifeſtant, *vel cauſas* diverſas oſtendunt. Etſi quidem Colici doloris ſigna confuſa admodum, & ita cum cognatis adfectionibus permixta, ut communia eſſe videantur: præ cæteris tamen colicæ paſſionis indicium manifeſtum & quaſi παθογνωμονικὸν eſſe aſſerit dolorem in loco renibus altiore exiſtentem *Gal. lib. 6. de Loc. adfect. cap. 2. Aetius Tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 30.* & quidem graviſſimum, ut vult, *Paul. Æginet. lib. 3. de Re Medic. cap. 43.* qui vagus & in inteſtinis craſſioribus oberrans ſenſum extenſivum ampliorem locum occupantem, & terebro perforanti ſimilem exhibet; adeſt nauſeæ tùm multitudo, tùm magnitudo: per vomitum rejecta ſuntblioſa, pituitoſa, quibus

præ-

præſſimti cibi quoque aliquid admixtum videtur, præterea ne flatus quidem transmittuntur, & feces ipſæ comprimuntur, tardius ac difficilius egeruntur *Gal. lib. 6. de Loc. adfect. cap. 2. & 3.* Quod ex ſignis diſtinctivis poſtmodum magis fiet conſpicuum.

XXXV. *Cauſarum ſigna* tùm ex prægreſsis, tùm ex iis, quæ adſunt, tum etiam iis quæ conſequuntur, dignoſcenda. Si igitur ab *intemperie* aliqua, cujuslibet quoque ſigna ſeſe manifeſtabunt propria; Sin ab *Inflammatione* & inſequente apoſtemate, fervoris in loco ſenſum percipiunt ægrotantes: febris adeſt non ingeneroſa; Rarum enim, Colo inflammationem ſuſtinente, febrim non oboriri teſtis eſt *Trallian. lib. 10. cap. 1.* Suppreſsio ſtercoris & urinarum, pulſus vexat circa ventrem, ſitis ac ardor infeſtat, concurrunt nauſeæ & bilis vomitus nihil allevantes, *Ægin. lib. 3. cap. 43.* dolor pungitivus vel potius extenſivus & pulſans, in uno loco permanens, augeſcensque inflammatione creſcente, & quæ ſunt alia inflammationis ſigna.

XXXVI. Si ex *calidis, bilioſis, acribus & mordacibus* excitatur *humoribus*, vehementes quoque ſurgunt dolores, aliquando verò & convulſiones maximè ubi circa os ventris fuerint congregati. Accedunt quandoque & animi deliquia & humiditates ſudoris frigidæ *Aetius Tetr. 3. ſerm. 1. c. 29.* interna morderi, exuri, & lancinari videntur, lingua eſt arida, ſitis & vigiliæ urgēt, ſingulis diebus magna ex parte exacerbatur: urina eſt acris, & quæ per alvum excernuntur bilioſa copioſaque, in egeſtione ſæpe magis dolent: à cibis calidioribus, potionibus & medicamentis ægri magis irritantur, & plures omninò non ſine febri agunt *Trall. lib. 10. cap. 1.* Imò febriunt omninò, minus tamen, quàm ſi ab inflammatione orta Colica *Ægin. lib. 3. cap. 43.*

XXXVII. Si ab *atrabilari & melancholico humore*, dolor quidem adeſt, ſed cum exiguo nec admodum extenſivo gravitatis ſenſu, ac potius compreſsivo, inq; uno loco quieſcente: comitantur frigiditas, ructus acidi, nigræ dejectiones, à quibus levantur, nonunquam præceſſerunt cauſæ ejuſmodi ſucum gignentes. *Capivac. lib. 3. cap. 13.*

XXXVIII. Si à *pituitoſis frigidis ac craſsis*, quod ut plurimum contingit, Colica excitatur, dolor per totum abdomen in pro-

ſundo ſentitur, maximè circa coli ſitum, doloris ſenſu velut à terebellæ perforatione contingente: Si præſertim pituita vitrea abundat, quæ fixum dolorem calculi ſpeciem præ ſe ferentem quaſi mentitur. adeſt dolor acerbiſsimus *Trincavell. lib. 6. ſect. 3. cap. 9.* ſenſus gravitatis & frigiditatis, nulla ſitis, excrementa mucoſa, *Herc. Saxon. lib. 3. cap. 25. Holler. lib. 1. cap. 41.* Tormina vexant ructus, nauſeæ, vomitus omnigeni, maximè pituitæ: venter adeò graviter ſiſtitur, ut neque flatus pertranſeat: excretum quandoque ſtercus bubulo ſimile videtur, leve, & flatu plenum: ac plerique tandem humorem excernunt pituitoſum & potius vitreum, citraque febrim degunt juxta *Trallian. lib. 10. c. 1.* Præceſſit in his maximè frigidorum ac craſſi ſucci eduliorum aſſidua ingeſtio, repletio, cruditas, ocium & quæ his conſona *Æginet. lib. 3. cap. 43.* qualia ſunt ex *Tralliano l. c. & Aetio Tetr. 3. ſerm. 1. cap. 30.* habitus & temperamentum patientis: frigidiores cibi ac potus aſſumti gravius dolorem irritant *Foreſt. lib. 21. obſerv. 4. in ſcholiis.*

XXXIX. Si à *vaporibus flatuoſis* aut *ſpiritibus reſolutis* in membranis inteſtinorum dolor eſt pungitivus & vehemens *Trincavell. lib. 6. ſect. 3. cap. 9.* in cavitate extenſivus: His enim tenſionis ſenſum magis contingere autor eſt *Ægineta lib. 3. cap. 43.* Obaudiuntur murmurationes & rugitus varii, venter eſt tumidus inflatusque, ac percuſſus Tympani inſtar reſonat, dolor vagus & inſtabilis in varias ventris ſedes ſe contorquet, & plerunque flatulentorum ciborum anteivit aſſumtio *Herc. Sax. Part. 2 Prax. cap. 30. Foreſt. lib. 21. obſerv. 4.* Ructu crepituque emiſſis levantur *Trallian. lib. 10. cap. 1. Herc. Sax. lib. 3. cap. 25.*

XL. Si à *venenis*, ſuſpicio de aſſumto veneno, & inſpirata qualitate maligna adeſt vel adfuit, & præter alia ſigna gravia diris modis ægrotos excruciantia inſequuntur Symptomata venefica, ceu ſunt ſyncope ſtomachi, anxietas, pallor faciei & totius corporis, pulſus imbecillis, animi deliquium & ſim. quæ videantur apud *Capivaç. lib. 7. cap. 3.*

XLI. Si à *fecibus induratis* alvus diutius ſuppreſſa deprehenditur, nec quicquam excrementorum ejicitur, licet voluntas adſit egerendi: quibus per clyſmata eductis, levantur *Foreſt lib. 21. obſerv. 4. in ſchol. Mercurial. lib. 3. cap. 26.*

XLII. Si

XLII. Si à *Sanguine grumeſcente* dolor extenſivus cum ſenſu gravitatis percipitur, præceſsêre animi deliquium & totius corporis refrigeratio, ut & cauſæ externæ violentæ, ſanguinis ê venis emiſſionem cauſantes: melius habere ſolent patientes, Sanguinis grumoſi factâ dejectione *Capivac. lib. 3. cap. 13.*

XLIII. Si à *Lapillis & oſsiculis* dolor eſt fixus contuſivus, extenſivus & compreſſivus, anteceſſerunt unà oſſiculorum deglutitio, cruditas & cauſæ calculorum generationi idoneæ aliæ, imò ſua ſubſtantia ſe produnt, & plerunque aliarum cauſarum abſunt indicia.

XLIV. Si à *vermibus & lumbricis* ortum traxerit, præterquam quod, veluti ſorices, ſeipſos prodant, ſi egrediantur & per alvum cum fecibus expellantur, atque ita indubium ſignum exhibeant: tamen ſi intus deliteſcunt, præter ventris diſtenſionem torſio, diſſolutio corporis & macilentus habitus, faciei pallor, oculorum ſuffuſio, narium pruritus & frictio adſunt, & cum ſurſum repunt, inteſtina morſu aut ſuctu feriunt, os ventriculi lancinant, aliaque concurrunt, quæ videantur apud *Fernel. lib. 6. cap. 10.* Adhæc gravia & formiduloſa inferunt Symptomata juxta *Actuarium.* Nam nervorum convulſio, ſingultus, animi defectus, projectatio, ſenſus privatio, vomitus, oculorum cavitas & mediocris oris hiatus, atque id genus alia aut omnia, aut nonnulla iis, qui clanculum lumbricos educant, oboriuntur, inquit *lib. 1. cap. 21.*

XLV. Atque hæc de ſignis diagnoſticis: progredimur rectà *ad diſtinctiva.* Lactuca enim à betis diſtinguenda: id quod à multis negligi autor eſt *Rondeletius.* Et licet difficulter internoſci, & ægrè poſſit Colicus adfectus, eò quod aliis etiam particulis ejuſmodi accidentia, cujuſmodi colo dolentibus, eveniant, ſecundum Trallian. *lib. 10. cap. 1.* qua ratione tamen diſcernenda, videndum.

XLVI. Et primo quidem *Colica ab Iliaca paßione* hoc modo: Etenim in Colica dolor potius ſentitur, in poſitu circuituve craſſorum inteſtinorum, diuturnior, gravativus & magis tenſivus, difficulterque feces excernuntur: In Iliaca paſſione dolor eſt ſurſum inque ſuperioribus & tenuibus inteſtinis ſen-

 titur,

titur, pungitivus, acutus maximè, & brevi vires proſternens, nec quicquam ſtercoris, aut alterius cujuſdam materiæ per ſeceſſum excluditur, frequentiores ſunt vomitus quàm in Colica *Gal. lib. 3. Epid. Com. 2. tex. 6.* imò ex ore nonnunquam fœda ſubſequitur excretio, delirium & alia.

XLVII. *A Nephritica* verò in hunc modum: Colicus dolor, præterquam quod veluti circuire, ampliorem locum occupare, revolvi, ad plurimas partes extendi, ob ſitum coli adſcendere, epigaſtrium & umbilicalem regionem obſidere videatur; à ſumto cibo augetur, vomitus & nauſea ſunt graviores & magis aſſidui: excrementa vix excernuntur & educuntur beneficio medicamentorum & clyſmatum, cruciatus tamen levantur inde quodammodo, *Montagn. Conſ. 176. cap. 1.* & ſi quid ab alvo dejicitur, id flatuoſum nonnihil eſt, & ſæpenumero aquæ ſupernatare conſuevit ſimilem habens bubulo ſtercori conſiſtentiam *Gal. lib. 6. de Loc. adfect. cap. 2. & cap. 3.* *Nephriticus* contrà dolor eſt fixus magis, eodem in loco ſtabilis, circa renem dolentem & lumbos veluti ſuſpenſi cujuſdam ponderis ſenſum inferens, qui interdum ad coxendicem, vel ad teſtem è directo ſitum protenditur, & propter poſitum ureterum deſcendit: Vomitus ferè poſt cibum ſolùm accidunt, primò quidem pituitoſi, malo verò aucto, & dolore perſeverante, æruginoſi, inprimis ſi febris accedat, ac inedia præceſſerit, quibus à paroxiſmo non tamen ab ipſo morbo liberantur: Excrementa alia ſunt naturalia, urina magis ſupprimitur, aut diluta, aquoſa tenuis & pura ſub initium emittitur, ſubſequentibus diebus deinde copioſa, craſſa, aſperum aliquid in fundo vitri oſtentans, & omninò arenoſa demum mingitur, quæ ardoris etiam quendam ſenſum inter exeundum excitat, ſæpiusq; ad mejendum ſtimulat, lapide cum urina excluſo, dolor ſtatim evaneſcit, quo verò adhuc detento, ſtupor in femore, quod eſt è regione renis adfecti, percipitur; dorſi ac crurum tremor, flectendiq; corporis impotentia accedit *Gal. loc. cit. & lib. 2. de Loc. adfect. cap. 5. Aretæus lib. 2. de Sign. Morb. diuturn. cap. 8. Trallian. lib. 10. cap. 1. Capivac. lib. 3. cap. 13.*

XLVIII. *A Dyſenteria* ita diſcriminatur. Etenim in hac alvus ſemper eſt aperta: in Colica plerunque adſtricta: *A Ventriculi dolore*, à maligna qualitate præſertim orto, ubi anxietas, tenſio, anguſtia, difficilis ſpiratio & imbecillitas eſt, quam comitatur pulſus languidus cum extremorum frigiditate: quæ in dolore Colico non eveniunt.

XLIX. *Ab uterino dolore*: Licet fœmina à partu aut tempore menſium inſtantium dolore Colicum æmulante afficiatur: Matrice tamen laborante dolor verſus inguina & coxendices magis declinat.

L. *A notha* denique in peritonæo vel membranis abdominis diſtinguitur vera; quod illa neque aſſumtis, neq; injectis pharmacis, aut anodynis mitigetur, quæ tamen in vera Colica ſunt proficua. *lib. 6. cap. 10. Fernel.*

LI. Properandum ad προγνωσιν. Quam gravis (imò graviſſima *juxta Æginetam lib. 3. cap. 43.*) & periculoſa adfectio Colica, inde conſtare putamus, quod præ doloris vehementia nonnulli manus ſibi violentas injecerint *Gal. lib. 2. de Comp. Med. ſecund. loc. cap. 1.* Si enim quilibet ferè dolor ſimul vires reſolvit juxta *Gal. lib. 1. ad Glauc. cap. 14.* quid in excellenti gradu effecturum eundem arbitramini? Ideò licet curabilis Colica & alia aliâ facilior, non tamen negligenda, ne ob vehementiam Symptomatum fiat lethalis, quandoquidem & paucis horis interitum afferre illam poſſe, ex ſupra dictis notum.

LII. *Vehementiam* autem non ſolum Symptomata ſupervenientia, ſed & cauſæ graviores oſtendunt. Etenim ubi dolores ſunt acerbiſſimi, uno loco firmiter fixi, nuſquam & nunquam intermittentes: Si nauſea vehementiſsima eſt, excrementa penitus retinentur, urgent vigiliæ & deſperatio, ſequuntur demum vomitus, ſingultus, delirium, mania, convulſio, extremarum partium refrigeratio, ſudores frigidi & ſyncope, inſanabilis evadit ſecundum *Alex. Maſſariam lib. 3. cap. 18.* Sic contagioſa & peſtilenti quadam diſtributione communicata ut plurimum interficit. *Paul. Ægin. lib. 3. cap. 43.*

LIII. *Reſpectu cauſarum* omnium *graviſſima* cenſetur Colica, quæ ab inflammatione ortum ducit: *mitior* quadantenus, quæ ab acri

ab acri humore: *Benignior* adhuc, quæ à flatibus, mitiſſima omnium, quæ cavitatis anguſtia producitur. *Foreſt. lib. 21. obſerv. 5.* Etenim quæ à fecalis ſolùm & pituitoſæ, aliûsque materiæ obſtructione ſola oritur, curatu videtur facilior. Quandoquidem excluſa materia, obſtructionem in cavitate cauſante, malum ipſum evaneſcit. Sic quibuscunque dolor ſine hypochondriorum inflammatione excitatur à craſſa & frigida pituita, his febris ſuperveniens dolorem ſolvit. Calor enim febrilis diſcutit, teſte *Hipp. lib. 6. Aphor. 40.* Sic quæ à flatibus originem trahit, diſcutientibus in principio ſtatim adhibitis, cedit.

LIV. Ita ſalus ægrotantis ſperanda, ſi Colica adhuc in principio, ſi dolores remiſſiores, neque uno in loco obſtinatè perſiſtunt, nonnunquam intermittunt, ſi facile & liberè reſpirant decumbentes, feces excluduntur, & clyſteribus injectis flatibus & excrementis ſuperfluis eductis, meliuſcule ſe habere perſentiſcunt. Sin contra alvus ex toto ſuppreſſa eſt, ſi vomitus perſeverat, ſi fœdi ructus ac excrementum per os fertur, tormina antecedunt crudelia, ſudoresq; frigidi, glutinoſi extremorum perfrigerationes ac animi defectus in dubio non modo ſalus ſed deſperata *Foreſt. lib. 21. obſerv. 5.*

LV. Perniciosam porrò & periculoſam non rarò efficit colicam permutatio & tranſitus in alios morbos ſatis graves. Non enim ſolum in Ileum adfectum longe graviſſimum terminari ſolet, juxta *Trallian. lib. 10. cap. 1.* Sed & in comitialem, arthritidem ac morbum articularem, paralyſin ac reſolutionem, (qui tamen poſteriores duo adfectus non ita, ut reliqui periculoſi) *Ægineta lib. 3. cap. 18. Herc. Sax. lib. 3. cap. 25.* quæ transmutatio Britonibus familiaris *Hollerius lib. 1. cap. 41.* Moravis & Auſtriacis *Horſtius Decad. 2. quæſt. 8.* Unde qui ad comitialem delapſi ſunt, plerique perierunt; qui ad reſolutionem, plerique ſervati, velut in judicatione cauſa translatâ. *Paul. Æginet. lib. 3. cap. 43.*

LVI. In Tympanitem & Hydropem ſiccum *Hipp. lib. 4. Aph. 11.* præſertim flatulenta *Actuarius lib. 1. cap. 21.* Quibuscunq; enim tormina & circa umbilicum cruciatus lumborumq; dolor adeſt, qui non diſcutitur nec purgatione nec aliter in hydropem

ſiccum

ſiccum firmatur. In peritonæi rupturam & herniam, in abſceſſum *Foreſt. lib. 21. obſerv. 5.* in ulcera non mitia, phthiſin, morbos inſanabiles. *Aretæus lib. 2. de ſign. & cauſis morb. diuturn. cap. 8.*

LVII. Oportuni, præ reliquis, magis huic malo ſunt frigidioris naturæ homines, pituitoſi, otio & venere diffluentes, cibisq; craſſis, frigidis, concoctu difficilibus frequenter, intempeſtivè & copioſè utentes, ut & ad ſenilem ætatem declinantes. Ætate enim, tempore, regione frigida, & aſpera hyeme provenit, teſte *Aretæo loc. cit.* quo etiam vitrearios ferrarios & ſimiles refert *Mercurial. lib. 3. cap. 26.*

LVIII. Cæterùm cum ſuperiùs innuimus, omnes res, de quibus diximus, ad medendi methodum præparationem afferre, ad curandi methodum eſt accedendum. Et quidem neceſſariò. Etenim non ex ſcriptis ad medendum idonei fieri videntur, nec omnes illi cenſendi Medici, qui, quæ libris Medicorum traduntur, cognoſcunt: Sed quomodo etiam ſanari queant homines & curatio adhibenda ſit, uniuscujusq; habitu diſtincto, tradere conentur, hoc eſt, qui ægros curare poſſunt, ſciantque quomodo ſint adhibendæ curationes ſuis cujusque expoſitis affectionibus *Ariſtotel. lib. 10. Ethicor. cap. 10.* Ac Medicorum proprium eſt morbos adimere juxta *Gal. lib. 2. Method. med. cap. 3.* Recto igitur tramite ad curam ipſam pergimus. Boni enim & fidelis Medici eſt, celeriter, quoad ejus fieri poterit, curare, ſuaſore *Gal. lib. 14. Method. med. cap. 13.* Unde *Meſues* in exordio ſuæ praxeωs, inquit: auxiliari ne differas, quia ſemel pereunti nulla poſtea ſuffragia proſunt, ut *Foreſt.* annotavit *lib. 21. obſerv. 3.*

LIX. Verum enimverò cum omnis methodica curatio per indicationes, quibus veri & rationales à pſeudo-Medicis & Empiricis diſcernuntur, procedat; *Gal. lib. 2. Method. med. cap. 7.* quas profectò Medicum inſpicere ſimul decet juxta *Gal. lib. 11. Method. Med. cap. 13:* Easdem quoque paucis delibare fert animus: Hoc tamen prius obſervato, quod in nonnullis adfectionibus *duplex* offeratur *methodus & ordinaria, & extraordinaria.*

LX. Hæc in cauſa urgentiſsima interdum locum invenit. Vehementiam enim Symptomatum mitigare expedit. Etſi qui-

dem nullum Symptoma, quà Symptoma curationem indicat, nec primum immutat: ex accidenti tamen curandi rationem aliquando eadem mutant *Gal. lib. 12. Method. med. cap. 1.* Unde primo illud curandum à quo primum maximeque imminet homini periculum, ut vult *Gal. lib. 3. Method. med. cap. 7. & 9.*

LXI. Ideo ſi ex dolore vires reſolvuntur atque ex eo periculum impendet, & mitigari dolor & roborari vires debebunt, quo & morbo reſiſtere, & curationis ſpacio ſufficere valeant *Gal. 12. Method. cap. 1.* Magnitudo enim doloris quanta ſit perpendenda *Gal. lib. 6. Aphor. 5. Com.* Cui & ex Neotericis adſtipulatur *Hollerius*, inquiens: Si dolor urget vehementius prius leniendus eſt, quam adfectui conſulas *lib. 1. de Intern. morb. cap. 41.* Hoc igitur urgente, & vires proſternente, adeò ut metus ſit, ne ægrotans tùm ob dolorum vehementiam, tùm vigiliarum multitudinem deficiat, ad anodyna & opiata veniendum.

LXII. *Ordinaria* cauſas Colicæ reſpicit, & pro ipſarum varietate varia & multiplex quoque exiſtit. Quibus ſublatis, & ipſa adfectio evaneſcit. Hinc intemperies quæcunque ſui ablationem & materiæ qualitas præparationem per alterantia contraria; ejuſdem quantitas, & fecum copia, obſtructiones gignentia, emollitionem & evacuationem; quæ toto genere p. n. ſublationem; vapores flatuoſi, & ſpiritus reſoluti, ut & aura venenata diſcuſsionem & excluſionem; Tartari, ſaliumque coagulatio reſolutionem per convenientia & appropriata pharmaca & uſitata auxiliorum genera, Chirurgiam videlicet, Pharmaciam & Diætam indicant. Ordine autem videbimus ſingula, exorſi ab inflammatione tanquam omnium graviſsima.

LXIII. In qua cum neutiquam purgatio acris ac vehemens, *Æginet. lib. 3. cap. 43.* præſertim inter initia, cum illa nondum ad concoctionem pervenit, competat: quandoquidem ex aliis illæſis partibus ad adfectam fieret attractio. Cum autem hæc id quod illatum eſt, nequeat propellere, neceſſe eſt dolorem, vigilias, & tormina augeri: quibus omnibus increſcentibus, in Ileoſum morbum incidere: Imò qui purgantia medicamenta præbere non dubitarunt, ægrotantibus periculorum authores &

res & mortis extiterunt : Venæſectio adhibenda & paulatim ex toto corpore vacuatio tentanda : eò quod univerſa exinanitio tantum præſidii non afferat, quantum quæ paulatim fit, auctore *Trallian. lib. 10. cap. 1.*

LXIV. Sanguis igitur in plethoricis pro ratione copiæ, virium, complexionis, ætatis & temporis detrahatur, & ſecetur vena in cubiti flexura. *Paul. Æginet. lib. 3. cap. 43.* Quod ſi propter inflammationis magnitudinem etiam urinæ difficultas invaleſcat, & eandem ſupprimi contingat, venam & in talo & in ſuperiore pedis parte ſecare non eſt alienum.

LXV. Quod auxilium quoque febri, & ſi ab apoſtemate, ac ſanguinis adfluxu à violenta cauſa excitati, oriatur malum refrigerationis & revulſionis ergò adhiberi poſſe, non eſt dubium. Cujus loco & cucurbitulas applicare utile fuerit cruribus & femoribus *Jacob. Wecker. lib. 6. θεραπευτικῆς.*

LXVI. Quod ſi dolor per ſanguinis miſſionem non ſedatus fuerit, ſed adhuc perſiſtat, commodum clyſma ex malva utraque, violar. Mercurial. parietar. ſem. lini, fœnugræci, 4. ſrig. major. hordei, ol. roſar. Amygd. d. violarum, mellis ejuſd. ſachar. rubri & ſim. adplicare; infuſis mitigantibus uti, ſicut & cataplaſmatibus & irrigationibus : Sint autem temperata nihil acre habentia, quæ extrinſecus imponuntur, è quorum numero eſt Epithema ex ol. Chamomelino, farin. hordei & ſem. lini: ac ceratum ex ol. modò dicto, roſac. cera, & luteis ovorum paratum *Trall. l. c.* Si febris vehemens urget, injectio per alvum ex cremore ptiſanæ, ol. Chamomel. ſucco ſeminis lini, & hydrelæo fiat.

LXVII. *Victus* tenuis & febricitantibus accommodatus conſtituatur, qualis cremor ptiſanæ avenæ, jus pulli &c. Potus aq. hordei, vino abſtineat patiens uſque ad inflammationis ſolutionē Balnea inſuper benignis medicamentis corpore evacuato competunt *Ægin. l. c.* Reliqua Symptomata, ut & intemperies quæcunq; inducta aut relicta, ſuis peculiaribus ac congruentibus remediis emendanda. Videatur & *Foreſt. lib. 21. obſerv. 11. & Jac. Wecker. lib. 2. part. 2. θεραπευτικῆς.*

LXVIII. In aliis Colicæ ſpeciebus, non inconveniens, à Clyſmatum infuſione curandi viam ingredi. Medicamenta enim κωλικὰ dicta efficacius juvant per ſedem immiſſa, *ſecundum Gal. in Introd. ſeu Med. cap. 13.* Et ſi *à calidis & bilioſis, acribus & mordacibus* eveniat humoribus, videndum quam viam humor ille affectat. Medicus enim naturæ miniſter motum naturæ obſervet neceſſe eſt, quam imitetur. Ἃ δεῖ γὰρ ἄγειν διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων, hoc eſt, quæ ducenda ſunt, eò ducenda, quò maximè natura viam affectat, per loca lege naturæ commoda, Dictatore *Hippocrate lib. 1. Aphor. 21.*

LXIX. Si igitur humores dicti præſertim acres, in inteſtinis aggregati, ſtatim per ſedem infundere convenit ea, quæ humores eluere, atque citra mordacitatem repurgare poſſunt. *Aet. Tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 29. Oribaſ. lib. 4. de Cur. loc. adfect. cap. 87.* Talia Enemata parari poſſunt ex ſucco ptiſanæ. Hic enim absque ſale & calorem refrigerare & bilioſum abſtergere, ſi quid aliud, poteſt, præſertim copioſior & ſæpe exhibitus. *Trallian. lib. 10. cap. 1.* Ex mulſa, ſero lactis, ex decocto hordei, fœnugræci, lini, malv. Nymph. violar. lactuc. rad. altheæ, ol. violar. roſar. mellis ejuſd. *Æginet. lib. 3. cap. 43.* Hieram picram quoque commendat *Trall. l. c.* & aloen *Galenus* ubi mordax humor ad tunicas adfecti inteſtini confluxit *lib. 1. de Loc. adfect. cap. 4.*

LXX. Sin in ventre conſtiterint, maximeq; circa os ejus accumulati fuerint, animiq; deliquia intulerint, per vomitum expurgare oportet. Calida enim potata & vomitu rejectâ bilioſos humores excludi teſtis eſt *Aetius loc. cit.* Non verò ſint acria aut violentia vomitoria, qualia *Chymicorum* ſchola ex antimonio; *Galenicorum* ex elleboro ſubminiſtrat: Sed levia & benigna, ex jure alterato cum anetho oxymel ſ. vel ſquillitic. & ſim.

LXXI. Humores inſuper tenues calidi & acres attemperandi, (hoc eſt eorum tenuitas incraſſanda, caliditas refrigeranda, acredo obtundenda) & evacuandi. Illum ſcopum attingemus exhibitis Syr. frigidis violar. roſar. Nympheæ, papaveris, Endiv. Cichor. portulac. Agreſtæ, Cydon. granat. horumque aquis, & herbis, ut & Sem. frigid. decoctis & ſim.

Hunc

Hunc leviter purgantibus; ut pulpa Tamarind. rhabarbar. aloe, & picra inde parata ſem. pſyllii, ſyr. roſar. ſolutio. & ſim. Nullum autem medicamentum, quod acredinis multum obtinet, offerendum. (ut Euphorb. veratrum, granum gnidium) Præterquam enim quod nihil ejuſmodi juvant, præterea etiam tormina & roſionem pariunt ac atram bilem excitant teſte *Trallian. lib. 10. cap. 1.*

LXXII. Quibus præmiſſis, dolore tamen remanente, aut etiam invaleſcente juxta *Aetium l. c.* ad uſum eorum, quæ ſtuporem inducunt, confugiendum *Gal. lib. 12. Method. med. cap. 8.* Etenim in iis, qui in hac adfectione ſunt conſtituti, non ſolum dolor levatur iis, quæ ſenſibus ſtuporem afferunt, ſed etiam iidem magnopere juvantur ſi humorum tenuitas incraſſetur, & earundem caliditas refrigeretur juxta *Oribaſ. lib. 4. cap. 87. Aetium Tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 29.* Ceu ſunt papav. philonium *Galeno in libell. Quomodo morb. ſimulant. ſint deprehendendi:* Requies Nicolai Athanaſia Nicol. Pil. de Cynogloſſa. Laudanum cumprimis opiatum.

LXXIII. Quia verò non tantummodo medicamentis calidis læduntur ita affecti, ſed & alimentis talibus: & à cibis abſtinentes exacerbantur: uſu autem temperatarum rerum in meliorem ſtatum rediguntur teſte *Oribaſio lib. 4. cap. 87.* Ideò cibi boni ſucci & qui non facile corrumpuntur *Gal. lib. 1. de Loc. adfect. cap. 4.* exhibendi, attenuantibus ac calefacientibus vitatis: *Aetius Tetr. 3. ſerm. 1. cap. 29.* Ad ſummam: totus victus humidior ſit ac frigidior *Paulus Ægin. lib. 3. cap. 43.*

LXXIV. *Aër* igitur ad ejuſmodi temperiem inclinet: Ex *cibis* utatur patiens ſorbilibus ex alica vel ſola, vel cum acinis mali punici, *Aet. l. c.* aut ptiſana. Ex carnibus eligantur viſcidi, ut pedes bubuli, ſuilli, ventriculus. *Trall. l. c.* Ex piſcibus ſaxatiles & petroſi: ex teſtaceis, cochleæ, oſtrea: ex fructibus Melones, Melopepones (auſteri pro lubitu, modicè tamen ſumendi *Aetius*) ex oleribus, lactuca, portulaca: abſtineant ab omnibus acribus *Ægin. l. c.*

LXXV. *Potus* ſit aq. frig. cocta: quandoquidem hoc è toto ſe dolorem billioſum ſanaſſe gloriatur *Alexander Trallianus:*

Aq. hordei ſ. vel cum ſucco granator. miſta. Abſtineat à vini potu præſertim veteris. A potulentis enim calidioribus irritatur acris erodensq; humor. *Fernel. lib. 6. cap. 10.* Quod ſi in toto abſtinere nequeant vino, concedendum tenue & aquoſum.

LXXVI. Neq; *exercitiis* multis neq; motu ullo utantur. Hiſce enim ubi largius uſi fuerint, non ferunt, ſed ſtatim intemperati & acres redduntur. *Somnus* ſit mediocris aut paulò prolixior: Balnea dulcis aquæ inprimis ætate vigentibus & calidiore temperamento præditis conveniunt. Abſtineant ab ira, omniq; cura, quatenus licet, & omnis generis laſſitudinibus. Ita namq; temperanter & in omni hilaritate degentes, moleſtum & excruciantem coli dolorem evadere poterunt. *Alex. Trall. lib. 10. cap. 1.*

LXXVII. Quod ſi ſuſpicio *de atrabilari* ac melancholico ſucco, Clyſmatibus & melanagoga ſimul infundere, & per os cum præparantibus ejuſmodi ſuccum alia quoq; competentia exhibere & admovere tempeſtivum fuerit.

LXXVIII. Si *à frigidis pituitoſis viſcidis ac craſſis humoribus*, quæ frequentior eſſe ſolet, orta colica, convenit eos diſſecare, incidere, attenuare & concoquere citra vehementem calorem & per minimè inflantium uſum. *Aet. Tetrab 3. ſerm. 7. cap. 30.* Vehementer enim calefacientibus dolores augentur, humores funduntur & flatu implentur. *Oribaſ. lib. 4. cap. 87. Ægin. lib. 3. c. 43. Trincavell. lib. 6. ſect. 3. cap. 9.*

LXXIX. Ubi igitur mediocris dolor urget ſimplicioribus, Sin validior, iis quæ magis adhuc lenire & humorem infixum extenuare poſſunt, utendum. Leniente proinde initio Clyſtere ex temperatè calidis emollientibus parato & immiſſo, ut ex rad. lilior. alborum, altheæ, brancæ urſinæ; fol. malvæ, bis malvæ, parietar, ☿lis, betæ, fl. Chamemel. melitoti, ſem. lini fœnugræci, ol. communi lilior. amygd. dulc. butyro & ſim ac aliquoties repetito: vel ſi opus valentiori injecto, quale ad viſcoſos & craſſos humores expurgandos ex Ariſtolochia, ol. anethi. rutac. & ſim. confectum deprædicat *Trallian. lib. 10. cap. 1.* Ubi & El. diaphœnic. benedict. laxativ. hieræ picr. pro clyſterib. Eleſcopi & ſim locum inveniunt.

LXXX.

LXXX. Nec inutile & ſuppoſitoria adminiſtrare, tùm mitia, tùm etiam acutiora temporis progreſſu. Confici autem poſſunt talia ex melle & ſpec. hier. picræ. ſale communi & nitri. Salis enim lapillum accipere patientem ſibiq; ſupponere quidam antiquorum præceperunt, ut *in fragmentis ex Aphoriſmis Rabi Moyſis collectis* refert *Gal. ex Partic. ſexta de Colica*: quia ſal citò extrahit egeſtionem, quod idem operatur, cum ſupponitur, nitrum. Ita & Sal gemmeum tùm in enematibus, tùm in ſuppoſitoriis admodum eſt conveniens. Peculiari ſiquidem proprietate ſquibalas emollire teſtis eſt *Foreſt. lib. 21. Obſerv. 5.*

LXXXI. Vomitum quoq; revulſionis gratia in diſpoſitis & ad vomendum idoneis *Hipp. lib. 4. Aphor. 6.* & ante cibum provocare expedit. Etenim in hoc caſu utiliſſimus eſt, præſertim qui à raphani radicibus, cibis item ſalſis, dulcibus & copioſioribus petitur. Nam cum vomitu ſimul etiam ſi quid viſcoſum & craſſum & pituitoſum eſt, educitur: nec ſinit copioſum collectum rurſus inteſtinis influere, qui aliorum iterum dolorum autor fiat. Oportet autem non ſolum in ipſo morbo vomitum ciere, ſed etiam quando conquieſcit, id faciendum eſt, de Conſilio *Trallian. lib. 10. cap. 1.*

LXXXII. Quibus adhibitis, magna nihilominus humoris craſſioris copia exiſtente, per os exhibere licet & præparantia & purgantia. Non enim ſtatim purgandum: quia in craſſis & glutinoſis humoribus coctionem expectare oportet, inquit *Gal. in libello de Catharcticis.*

LXXXIII. Ex *præparantium* numero ſunt pulegium, betonica, origan. majorana, hyſſopus, calam. aromat. Mel. roſar. oxymel. ſyr. de 2. & quinq; radic. ſpiritus ſalis. Spec. diacym. diacinam. & ſim. Ex *purgantium*, claſſe præter ſuperius dicta ſint rad. mechoac. gialapa Turpethum, horumque extracta: Elect. diacatholic. diaphænic. Eleſcopi, benedict. laxat. Pil. hier. ſ. aleophang. ſine quibus eſſe nolo, aggregat. horumque & ſimilium eſſentiæ. *Aetius* utitur & colocynthide per noctem in vino generoſo infuſa, quod quidam pro ſecreto habent, teſte *Capivac. lib. 3. cap. 13.* Plura videantur apud *Trall. l. cit.* Sola enim purgatione ſæpe Colicam ſe ſanaſſe gloriatur *Gal. in libell.*

Quos

Quos purg. oportet. Cui adſtipulatur & *Hercules Saxonia*, inquiens: & ratione & auctoritate ductus, profiteor bona fide me unica die dolores hos ſanaſſe uſu diaphæniconis cum ℥ij ſpecier. hieræ & ſtatim ſuſtuli dolorem *lib. 3. cap. 25.*

LXXXIV. Quibus ſuccedant & *diſcutientia*, ceu ſunt ol. menthæ, juniperi, carvi, ceræ, garyophyllor. & ſim. *Fomenta*, *Cataplaſmata*, *& ſacculi* ex althéa, pulegio, chamomill. anetho & ſale, milio, hordeo, fœnugræco, &c. *Inſeſſus & balnea* (niſi ad convulſionem, reſolutionem, aut arthriditem proclivitas affuerit. *Rondeletius lib. 2. Meth. c. 26.*) ex decocto fol. Lauri artemiſ. anethi, chamemel. althéa, major. ſem. fœnugræci, apii, aniſi, cumini & ſi[m]. *Unguenta & linimenta* ex ol. anodynis Chamomill. Anethi, rutæ, juniperi, garyophyll. ceræ, &c. ubi cumprimis commendatur Balſ. Apoplectic. & Zibethum umbilico illita, quæ incantamenti inſtar dolores leniant.

LXXXV. De *anodynis* hoc loco quæritur; an etiam *opiata* pro dolore ſopiendo intrò offerenda? Pro cujus quæſtionis diſſolutione hæc damus: Licet in nonullis acutiſſimis colicorum doloribus locum facile inveniant: vehementia tamen ſtupefacientia vitanda juxta *Æginetam lib. 3. cap. 43.* nec in hoc caſu, niſi neceſsitate urgente, & metu ſyncopes (læſionem enim potius corporis quàm mortem eligendam autumat *Gal. lib. 12. Meth. med. c. 1.*) temerè aut præproperè exhibenda & cum certa cautione: Si enim vires tibi robuſtæ appareant, & dolor grandis admodum, urgensque, tunc ſolum offerre idque ſemel oportet, inquit *Trallian. lib. 10. cap. 1.* Imò nullo pacto danda eſſe aſſeverat *Oribaſ. lib. 4. cap. 87. Gal. 12. Method. med. cap. 8.* Nam licet videantur relevari illi quidem, interim dum ſtupefacientia adhibentur, cum ſolus ſenſus ſtupefiat, ſed tamen poſtea deterius afficiuntur, cum humores magis incraſſentur, & difficiles ad excernendum reddantur: imò non ſolum diuturnas & indiſſolubiles ejuſmodi reddunt adfectiones, ſed paulo poſt, reſervatis intus cauſis, & animi deliquium & mortem inferunt teſte *Aetio Tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 33.* In calidiori tamen temperatura præditis, & ob tenuem acremq; humorem dolentibus, torporem excitantia medicamenta, præterquam quod nihil

nocent,

nocent, adhuc etiam magis opitulantur, dum tenuem, acrem & bilioſum humorem craſſum reddunt, ad coctionem perducunt, & ad bonam temperiem convertunt, exhibere poſſe & ſupra innuimus, & ſuaſor quoque eſt *Trallian. lib. 10. cap. 1.*

LXXXVI. Victus rationem quod concernit: in univerſum omnia, quæ colicis exhibentur diætæ ſint attenuatoriæ, & cauſæ contrariæ. *Aër* proinde calidior & ſiccior eligatur aut arte paretur: *Cibi* ſint boni ſucci & concoctu faciles; vitent repletionem & cruditatem patientes, *Paul. Æginet. lib. 3. cap. 43.* Omnia enim inutilia recrementa ex levi occaſione ad adfectū & infirmum membrum detruduntur *Aetius Tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 30.*

LXXXVII. *Panis* ſit ſiligineus, conditus apio, anetho, cumino, vel aniſo: dulcia omnia & adſtringentia multa nocent.

LXXXVIII. Ex oleribus conducunt, apium, aſparagus paluſtris: ex avibus; columba, perdix, gallina, & in montanis altæ: Ab aliis carnibus plerisque abſtineant, ut & leguminibus: Ptiſanam tamen & amygdala aſſumere expedit. Ex piſcibus laudantur ſaxatiles.

LXXXIX. *Potus* medium cibum non dirimat, nec multus ſit: propinetur vinum album, tenue, pellucidum, mediocri ætate, modicè ſumtum, quod facile in corpus diſtribuitur, & adſtrictionis expers. Ex factitiis & medicatis, aniſatum, apiatam juxta *Capivac. lib. 3. cap. 13.* abſinthite, quod alvum potenter roborat juxta *Aetium Tetr. 3. ſerm. 1. cap. 31.*

XC. *Motus*, deambulatio præſertim à ſomno in loco ſub dio aëri expoſito & patenti, & omnis generis exercitatio inſigniter conferunt: Extenuant enim diſcutiunt & totum corpus excrementis liberum reddunt, univerſum habitum corroborant, ut in poſterum adfectæ partes frigidum humorem colligere nequeant; imò neq; aliunde influentem promptè in ſe recipiant *Trallian. lib. 10. cap. 1.* *Somnus* ſit nocturnus, conveniens: alvus quotidie cumprimis à ſomno reſpondeat: ex pathematibus relegentur frigidum ejuſmodi ſuccum accumulantia, ac jucundâ animi voluptate fruatur patiens.

XCI. Quæ curationis hiſtoria & *flatibus* præſertim craſſioribus colicam cauſantibus ad unguem ferè competit: niſi quod carminantium flatusque diſſipantium remediorum quantitas

augenda & major doſis addenda. Ceu ſunt ſem. fœnicul, icumini, dauci, anethi, carvi, fol. pulegii, origan. Calamenth. ol. aneth. rutaceum &c. Horum enim aliquo per alvum indito, ſtatim flatuum copia erumpit & dolor inde conquieſcit. Sicut & *Foreſtus* unico clyſtere quendam flatulenta colica laborantem ſe ſanaſſe refert *lib. 21. obſerv. 3.* Ita & aromaticis confectionibus, diagalang. diacymin. diacalaminth. dianiſi ad ℥j intus exhibitis, ut & ol. deſtill. aniſi, fœnic. carvi & ſim. flatus diſcuti poſſunt.

XCII. Maximè quoq; juvat in hoc paſſu, flatibus præſertim ſolitariis cucurbitula bene grandis circa umbilicum admota. Quam ſæpiùs etiam cum largiori flamma affigere & in quacunque corporis parte adponere jubet *Aetius Tetr. 3. ſerm. 1. cap. 30.* ut nonnulli curationis celeritatem admirati, cogitarint magia quadam & non artis ratione levationem doloris obtigiſſe. *Gal. 12. Method. med. cap. ultim. & Trallian. lib. 10. cap. 1.*

XCIII. Si à *venenis* inducta colica, ante omnia utiliſſimum vomitum provocare Aq. tepid. & ol. amygd. d. vel cum decoct. ſem. anethi, raphani. Hinc lenientibus & abſtergentibus oblatis, ad antidota ceu ſunt, ex ſimpl. unicornu, Bezoar. Tormentill. Diptamnus C. C. U. & præpar. ex compoſitis Theriac. Mithridacium, Bezoard. min. Aurum diaphoretic. & ſim. aliaque cordialia tranſeundum *Foreſt. lib. 21. obſerv. 13.*

XCIV. Ac præter alia felici ſucceſſu frigidæ potu, intybo, cichoreo & ſimilibus refrigerantibus epidemialem illam peſtilentem curatam fuiſſe refert *Paulus Ægineta*, cujus verba adſcribere libet: Sic igitur ægrotantes Medicus quidam in Italia curavit incredibili quodam ac temerario frigefactorio victu conſtituto. Lactucas enim ipſis exhibebat non coctas frigefaciens ipſos, intyboq; ſimiliter ſupra ſatietatem edenda, uvas item & mala & piſces duræ carnis, omniaq; teſtâ intecta, & pedes bubulos & bulbos & ſimilia non ſolum potentia, ſed ad tactum frigida. Vinum verò rarò, aliquando tamen dabat, & frigida aqua miſcebat. Sed & frigidam aquam, aut etiam poſcam frigidam dabat, ab omni alio calido ac medio cibo abſtinens: & plurimos hoc modo præter omnem opinionem ſanavit, & ex his aliquos, qui jam ad comitialem aut reſolutionem labi cœpiſſent. *lib. 3. de Re Med. cap. 43.*

XCV. Si à fecibus induratis ac ſtercoris duri obſtructione proveniat malum, per convenientia infuſa & continuata ex hydrelæo & mulſa aliisq; exſiccatum induratumq; ſtercus humectandum, emolliendum, victusq; humidus præſcribendus. Quo educto infundendum eſt oleum, in quo coctum cuminum aut ruta cum adipe anſerino aut gallinaceo, aut radicum cucumeris ſylveſtris decoctum cum myrrhæ ℥j melle & oleo.

XCVI. Clyſmate moram trahente, aut retento, glandulam ex melle, nitro, ſem. cumini, rutæ aut etiam colocynthide ſubactam ſex digitorum longitudine, quo muſculum Sphincterem transgrediatur, de conſilio *Pauli loc. cit.* ſubdere, & balneorum inſeſſu corpus emollire prodeſt. Imo in contumaci hoc malo etiam ad Elaterium, ad Antimonium, ad nucleos pineos purgantes confugiendum eſſe autor eſt *Capivaccius*: Hæc enim ſunt efficaciſſima ſolventia, & liberant homines à morte vicina. *lib. 3. cap. 13.*

XCVII. Quibus nihil proficientibus follem fabrilem & Hippocraticum inſerere expedit ut hac ratione pertinaciùs adhærentes inteſtini parietibus feces ſeparentur, & per infuſa ac medicamenta tandem excludantur. Cujus uſus, modus, ac proceſſus videatur apud *Alex. Trallian, lib. 10. de Re Med. cap. 1.*

XCVIII. Quæ hactenus propoſita curandi ratio & dolori colico à calculis (quandoquidem Galenus & Nephriticum & colicum dolorem eadem requirere præſidia affirmat *lib. 6. de Loc. adfect. cap. 2. & lib. 2. Loc. adfect. cap. 5.*) & oſſiculis cauſato ſit dicata: Sicut quæ à grumo ſanguinis & lumbricis provenit, immiſſis enarratis, admiſtisq; & ſanguinem ſolventibus, & vermes enecantibus expellentibusque ſuccurrendum. Neque enim dolor ſopiri poteſt, priuſquam illa quæ toto genere præter naturam, è corpore ſunt expulſa: De quorum privata, ut & quæ à ruptura, vulnere, aliisque cauſis externis proveniant colicorum ſpecies, cura propria alibi plenius ac planius agitur: videri quoque poſſunt *Foreſtus lib. 21. obſerv. 14. Capivac. lib. 3. cap. 14.* & alii practicantes.

XCIX. A paracelſiſtis & Chymicis, in hoc morbo miris modis quoque commendantur Sal Tartari, Victrioli, Veneris, Chammoillæ: Ol. menthæ, ſuccini, Chamomillæ, Juniperi,

carvi, cumini, gariophillor. ceræ: Extr. corticum Aurant. calami aromatic. Eſſentia Corallior. Aurum diaphoretic. Spiritus terebinthinæ, vitrioli, ſalis cum vino malvatico ſecundum Crollium; nitri, & inprimis cum Ceraſorum artificioſa. V. eſſentia mixtus, circulatus & unitus, cujus ſpe opeque per Dei gratiam nunquam fruſtrati fuimus hactenus.

C. Quibus omnibus huc usque adductis *coronidis loco* ſubnectere libet ea, quæ *è peculiari proprietate* colicis doloribus reſiſtere creduntur. In quorum cenſu deprædicantur à *Galeno* Galerita toſta & comeſta, quæ cum omni admiratione coli dolores aufert. *de Theriac. ad Piſon. cap. 9.* Cicadæ ſiccæ, Tettiges dictæ. *lib. 11 de Simpl. Med. Facult.* Stercus Lupinum præcipuè quod candidum eſt, ex aqua aut vino tenuis ſubſtantiæ quod ſummopere colicos juvare teſtis eſt *Oribaſius lib. 4. cap. 87. & ex Gal. in libell. de Incantatione Aetius.* ut & oſſa in ipſo ſtercore in fruticem aut herbam excreto inventa trita & ebibita *Tetr. 3. ſerm. 1. cap. 31.* ſtercus bubulum *Herc. Sax. lib. 3. cap. 25.* ſuccus ex ſtercore equino in cereviſia coctus & expreſſus. Inteſtinum lupi *Herc. Saxon. part. 2. Prax. cap. 30.* quod & *Amatus Luſitanus Centuria 3. Curat. 12.* experientia comprobavit. Cochlea item crúda *Capivac. lib. 3. cap. 13.* Umbilicus inciſus recens nati infantis: Tunica amnios qua caput infantis involvitur, C.C. U. & præparatum, *Holler. lib. 1. cap. 41.* Cornua cervorum tenera adhuc in taleolos diſſecta & exſiccata, virga cervi *Felix Plater. Parte 2. prax. cap. 13.* è quibus tamen nonnulla & ad manifeſtas cauſas referre poſſe videntur. Plura alia videri poſſunt apud dictos Authores inprimis *apud Galenum lib. 9. κτ̃ τοπ. Aetium Tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 31. Felicem Plater. loc. cit. & alios.* Neque enim nobis propoſitum omnia hic corradere & adducere, putamusque cum *Alexandro Tralliano*, hæc omnibus prudentibus ſufficere. Etenim ſi quippiam à nobis quoque ex prædictis omiſſum ſit, licebit facile ad ſimilia medicamenta tranſire, ut cum eodem *lib. 10. cap. 1.* concludamus. *Neq; videndum ſemper, quam multa, quæ præſcribuntur, ſed quam bona ſint, affectuiq; accommodata & proficua remedia.*

F I N I S.